

X^{1a}
3454



SUPREMUH HONOR

Sereniffimæ ac Celfiffimæ Principi ac Domine

DOMINÆ

DOROTHEÆ MARIAE,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium &c.

Dominae quondam fuæ Clementiffimæ,

Reverendiffimi ac Sereniffimi Principis ac Domini

DOMINI MAURITII,

Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Postu-

lati Administratoris Epifcopatûs Numburgici, Landgravii Thuringiae,

Marchionis Mifniae, & utriusque Lufatiae, Comitis Principali dignitate

Hennebergiae, Comitis Marcæ ac Ravensbergi, Dynaftæ Ra-

venfteinii, & Balliviatûs Thuringici Vicarii &c.

Domini fui Clementiffis. & Nutritii munificentiffimi

Conjugi olim fvaviffimæ, nunc desideratiffimæ,

natæ Vinariae d. 14. Octobr. ann. 1641.

denatæ Cizæ d. 11. Junii ann. 1675.

Solemniter compofitæ d. 6. Aug. anni ejusdem

Oratione & Carmine parentali

in Schola Epifcopali Cizenfi

à RECTORE & CONRECTORE

Humillima fubjectione preftandus

d. 10. Aug. anni 1675

Cui ut bonarum literarum Patroni & fautores benevole

adfint, obfervanter & amicè rogat

M. JOHANNES Krauß / RECTOR.

CIZÆ

Typis Johannis Ruperti Keils.

AV



L. Bruti, primi quondam Romanorum
Consulis, statuē a nonnullis, apud quos magnum
reliquerat sui desiderium, subscriptum fuisse:
UTINAM VIVERES! Tranquillus in vita Cæsaris
memoriæ prodidit. Si monumento sepulcrali Se-
renis. ac Celsis. Principis ac Dominae, Dominae
DOROTHEÆ MARIÆ, Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae,
ac Montium &c. Dominae quondam nostrae Clementissimae,
non hujus duntaxat Urbis, sed universi Episcopatus Numbur-
gici cives, imò omnes, quibuscunque incomparabiles bea-
tissimae Principis virtutes innotuerunt, votum quoddam inscri-
bere deberent, nullus dubito, plerosque omnes illud: Utinam
viveres! adhibituros esse. Velut enim in Bruto Romani non
vulgarem quendam civem amiserant; Sed gravissimum Con-
sulem, qui Rempublicam, expulsis Regibus, in libertatem
vindicaverat, de ea multis modis bene meritus fuerat, ipseque
tandem pro eadem in prælio occubuerat: Sic in Principe
plus amissum est, quam quisquam fando dicere queat. Ami-
sit enim Reverendis. patriæ Pater conjugem suavissimam &
fidelissimam. Amiserunt Celsissimi Principes filii filiaque,
matrem amantissimam. Amisit sexus sequior instar virtutum se
condecorantium absolutissimum. Amisimus omnes non ma-
gis Dominam clementissimam, quam matrem patriæ indul-
gentissimam, & cimelium atque ornamentum temporum no-
strorum auro contra carum longèque preciosissimum. IN DE-
UM siquidem quanta D. Principis erat pietas, quæ non in labiis
tantum habitabat, sed in ipsis cordis fibris radices egerat firmis-
simas. Quam exacta & diligens dogmatum fidei Christianæ
verbi que divini cognitio & meditatio! quantus ardor in preci-
bus Deo allegandis! quanta in rebus adversis, & in primis in
morbo diutino, patientia! Non illa jugum divinitus sibi imposi-
tum jactare, non inanibus lamentis & nil profuturis questibus
omnia incendere; sed divinæ voluntati penitus se committere,
& mortem etiam ipsam interrito, & Christianæ fidei ac spei ple-
no, animo exspectare: *In Serenis. Conjugem & Dominum.*
suum quantus amor, modestia, fides! Quamquam enim non
ignoraret, magno se Principi junctam esse; non tamen con-
scientia fastigii & recordatio fortunæ suæ ipsi fuit fraudi, impu-
litvè, ut in curiam irrumperet, viri consiliis se ingereret, & de
rebus statuendi sibi sumeret arbitrium: incredibilis enim com-
positi animi moderatio nunquam sinebat eam oblivisci, femi-
nam se esse, & sub principe; ac proinde intra gynæcei sui pene-
tralia modestissime se & æquissima semper mente continebat;
castimoniam unà tam sanctè colens, ut cum Cæsare constan-
ter statueret, feminam quamvis, præcipuè verò Principis
conjugem, tam suspitione, quam crimine carere oportere.
Pro Celsissimis porò filiis filiaque quanta cura, quam tenera
solicitude! Cum ipsa ad pietatem aliasque virtutes exemplo
suo luculentissimam illis facem prælucebat, & graviter sæpe
adhor-

adhortabatur; tum omnes, qui instituendis ipsis vacabant, hoc in primis agere, huc irretorto oculo respicere jubebat, *Adversus subditos* denique omnes quanta ejus humanitas & clementia, quanta juvandi quemque promptitudo, pauperes præcipue ac ægrotantes! Quotusquisque enim horum opem ejus imploravit, & non medicamenta, ac quicquid ipsi suppetebat, illico facillimeque impetravit? Tot igitur tantisque bonis ac virtutibus semel & simul nos privatos esse, calidissimis merito lacrymis deplorandum est. Luget omnis familia, si bona & provida materfamilias ad plures abeat, & se destituat. Nos igitur ex quercu saxove nati sumus, si non intimos sensus pertentet dolor, dum optima totius patriæ mater tam præmaturo fato nobis erepta est. Quoque majus eorum est gaudium, qui à noxia & impudica quadam Helena, suæ & vicinarum provinciarum face, aut à quarta aliqua furia, cædibus & sanguine suorum delectatâ, tandem aliquando liberantur; Hoc acerbior luctus noster est, quibus tam pia, tam utilis, tam necessaria Princeps, emendatissimumque virtutum exemplar, exulceratis his temporibus, ubi omnia in pejus ruunt, & retro sublapsa referuntur, virtutesque oppido rarescunt, in ipso ætatis flore subtracta est! Etsi verò non ausimus dicam scribere naturæ cum *Theophrasto Philosopho*, qui senex annorum, *XXCV.* moriturus naturam accusasse dicitur, quòd cervis & cornicibus, quorum id nihil interesset, vitam diuturnam; hominibus, quorum id maximè interesset, tam exiguam vitam dedisset. Etsi quoque cum *Tito Vespasiano*, qui febrim nactus multum conquestus est apud Sveronium, eripi vitam sibi immerenti, neque enim ullum exstare suum factum pœnitendum, exceptò unò, contendere nolimus, præter omne meritum communi moriendi necessitati subjectam esse D. Principem: Ut enim nullum omninò exstet factum ejus pœnitendum, sed potius plenum egregiæ suisque partibus perfectæ feminae & Principis exemplum ipsa fuerit, vulgarem virtutum modum longè supergressa: Quâ tamen erat in Deum pietate & singulari animi submissione, ultrò facta est, hominem se esse, ac proinde à peccati labe, & quæ hanc excipit, morte minime immunem: Etsi, inquam, cum *Theophrasto* & *Tito* nec naturam, nec Numen in jus vocare; neque etiam diem tertium, *Idus Junias* sive *Solstitium*, quod nobis illætabile hoc justitium adduxit, damnare sustineamus; Haut temerè tamen videmur optare: Utinam viveres! Verùm nequicquam dolori habenas laxamus: Ad Deum potius mentis nostræ oculos convertimus, ejus voluntati, quod Christianorum est, humiliter acquiescimus, ipsique gratias agimus, quòd tantam Principem terris nostris aliquamdiu indulserit, quam nunc repetere sanctò jure, secumque in cælo vivere voluit. Nec invidemus D. Principi veram vitam & incredibile gaudium, quo nunc delibuta incedit; neque querulis ac vanis votis nostris retrahemus eam ad hanc miserabilem vitam, mortis potius quotidianæ; quam

quam veræ vitæ nomine insigniendam: Optabimus magis, ut nos propediem, ubi fatalis & decretoria hora appetet, cum ipsa perennem illam, omnibusque bonis & lætitiis affluentem vitam, in consortio Dei, Angelorum, omniumque beatorum vivere incipiamus. Interim memoriam meritorum ejus nulla delebit oblivio, sed, dum virtutibus suis constabit honor (erunt autem semper, quos illæ in admirationem rapiant) illius quoque laus & gloria inviolata perstabit. Orandum vero est sedulo benignissimum Numen, ut Reverendis. Patriæ patrem, Celsissimamque subolem in exquisitissimo hoc luctu vivido perfundat solatio, sufficiatque solidas corporis ac animi vires, quò optimo Principum imperio terrarum sibi subjectarum, per plurimorum anorum decursum, pari, qua adhuc, felicitate præsit, nec nisi serò in cælum, unde nobis datus est, redeat. Et sicut largam Dei gratiam & felicissimum successum, educationi Celsissimæ prolis adhuc impertitum, gratissimo veneramur animo; Ita ardentissimis expetimus precibus, ut major, indies fiat accessio, quò Celsissimi Principes communi patriæ & toti Ecclesiæ orthodoxæ, laudatissimo majorum exemplo, plurimum olim commodi & emolumenti fortiter feliciterque præstent. Ceterùm cum incomparabiles desideratissimæ Principis virtutes meritò certatim ab omnibus deprædicandæ, aliisque in exemplum commendandæ sint: Suarum quoque partium arbitrata est Episcopalis hæc schola, comprimis tot beneficiis Reverendis. Principi, Nutritio suo munificentissimo, obstricta, & benevolo superiorum suffragio accedente, memoriam D. Principis comiter habere, & subjectissimâ devotione, celebrare. Dicitur est ei rei dies 10. Aug. quo *Oratione brevi contendam, D. principem & nomine & verissimo omine fuisse DOROTHEAM MARIAM, h. e., divinitus nobis dono datam, & cum adversa quidem fortuna frequenter compositam, ejus tamen fortissimam & felicissimam vidricem.* Hinc conjunctissimus Dn. Collega M. Christianus Röber / Con R. Carmine Latino Heroico laudes ejusdem decantabit. Quanquam verò nihil omninò promittere habeamus tanta Principe dignum, sed hanc laudem alii cuivis facile concedamus: Pietatem tamen nostram & subjectionem humillimam bono nemini improbatum iri confidimus. Orantes igitur nos, ut scholæ nostræ Patroni, fautores & amici, cujusvis loci & dignitatis honoratissimi, benevole, auscultare velint, etiam atque etiam rogamus, Cizæ d. 6. Aug. Ann. 1675.



SUPREMUS HONOR

Serenissima ac Celsissima Principi ac Dominae

DOMINAE

DOROTHEAE MARIAE,

Duci Saxoniae,

Dominæ

Reverendissimæ

DOMINAE

Ducis Saxoniae, J

lati Administratoris Episcopi

Marchionis Misniae, &

Hennebergiae, C

vensteinii, &

Domini sui Cleme

Conjugi olim

natae

de

Solemnit

Ora

à REC

Hum

Cui ut bonarum

adf

M. JOH.

Typ

ontium &c.

imæ,

ac Domini

RITII,

ontium, Postu-

adgravii Thuringiae,

principali dignitate

Dynastæ Ra-

ii &c.

unificentissimi

eratissimæ,


1641.

jusdem

ORE

ores benevole

ECTOR.



AV

